



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 3. Hispaniæ Orator Tridento Mediolanum reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

## §. II.

Sæcul XVI.  
A C. 1562.*Decretum prorogandæ Sessionis.*

**H**uic Sessioni finis imponebatur, postquam Patriarcha Venetus, qui Divinis operabatur, decretum prælegerat hujus tenoris:

*Sacrofancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatis, decreta ea, quæ hodie in præsentis Sessione statuenda, ac sancienda erant, justis nonnullis, ac honestis de causis, in feriam quintam post proximam solemnitatem Corporis Christi, quæ erit pridie nonas Junii, proroganda esse censuit, ac prorogat, dictaque die Sessionem habendam esse, ac celebrandam, omnibus indicit: interea rogandus est Deus, & Pater Domini nostri JESU Christi, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium, quo adjuvante sancta Synodus, & nunc, & semper meditari, ac peragere valeat, quæ ad ejus laudem, & gloriam pertineant.*

## §. III.

*Hispaniæ Orator Tridento Mediolanum reversus.*

**B**iduo post Sessionem habitam Piscarius Marchio Tridento discessit, causatus, quod ejus præsentia in Mediolanensi

A 2

lanensi

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

lanensi Ducatu, cujus Gubernator erat, oppido necessaria esset ob recentes tumultus, quos Galli Calvinistæ in Delphinatu suscitassent, non pauci tamen suspicabantur, quod Hispaniæ Regis jussu recessisset, ne adventantibus Galliarum Oratoribus, qui indies expectabantur, in Synodo præsens adesset: quinimo eandem hanc causam Marchio allegabat in literis ad Mantuanum Cardinalem datis: interea vero Legati, quod avidè præstolabantur, Pontificis responsum acceperunt circa controversias in Congregatione die vigesima Aprilis exortas.

## §. IV.

*Papæ responsum ad plures articulos Legatis datum.*

*Pallav. cap.*  
*8. n. 1. Et seq.*

Itaque summus Pontifex præprimis suos Legatos monebat, ut in condendis reformationis decretis multa uterentur prudentia, ac moderatione, ne exinde tumultus suscitentur: porro ad hoc respondebant Legati, quod ad omnem sollicitudinem impendendam, ut Aulæ Romanæ honor illæsus servaretur, parati sint, nec arbitrentur, hac in re Patres ipsis obluctaturos.

Secundo loco Papa eos hortabatur, ut tunc, cum aliquod, quod ad ipsos Romanos Pontifices attineret, sancien-  
dum